Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36561
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

ad sanctum cum lacrimis ait. Et iam sancte dei si ego siluero opera mea cla
mabunt. Et enarrat ei ipse a principio usque ad finem et sequentem
diaboli malam operationem. Tunc dixit ei sanctus. Vis reuerti ad dominum deum
nostrum. Ad quem puer: Utique uolo. sed non ualeo. Dicit ei, quare. Respondit puer:
Scripto abnegaui Christum et professus sum diabolo. Dicit ei. Non sit
tibi curae. Benignus est dominus deus noster et recipiet te penitentem. conpati
tur enim malitiis nostris. Et iactans se puella ad pedes sancti euan
gelice deprecata est dicens. Discipule Christi dei nostri. quantum potes
adiuua nos. Dicit ad puerum sanctus. Credis saluari, qui ait. Credo
domine. adiuua incredulitatem meam. Et continuo apprehendens ma
num eius faciensque Christi signum in ipso et orans. reclusit eum in uno lo
co sacri periboli et dans ei regulam collaborabat ei per tres dies.
Post quos uisitauit eum et dicit ei. Quomodo habes fili. Dicit ei. In magna
sum domine defectione. Sancte dei non fero clamores eorum et terrores ac ia
culationes seu lapidationes eorum. tenentes manu scripturam
meam causantur me dicentes. Tu uenisti ad nos. non nos ad te.
Et dicit ei sanctus. Noli timere fili. tantum crede. Et dans ei mo
dicam escam faciensque super eum Christi iterum signaculum. ac orans. re
clusit eum. et post paucos dies uisitauit eum et dicit ei. Quomodo ha
bes fili? Qui dicit ei. Pater sancte longe clamores eorum et minas au
dio. sed non uideo eos. Et iterum dans ei escam et orans. claudens
que ostium abiit. Et quadragesimo die rediit. et dicit ei.
Quomodo habes frater? Respondens dicit ad eum. Bene ait habeo
sancte dei. Uidi enim te hodie in uisu pugnantem pro me et
uincentem diabolum. Mox ergo sanctus secundum consuetudinem fa
ciens orationem eduxit eum et adduxit in oratorium suum.
Mane autem facto uocauit sacrum clerum et omnem in Christo